

DISSERTATIO QUARTA DE REIS PER PŒNAS PUNIENDIS

Huc referendi sunt tituli 27. & 37. libri 5.

PŒnarum ecclesiasticarum nomine propriè ego intelligo, vel anathema, quo quis omninò extra Ecclesiam abjicitur, vel depositionem de clericali gradu, ad ejus exemplum recentioribus sæculis etiam inducta fuit apud monachos depositio à monastico officio, vel denique irregularitatem. De anathemate nihil est, quod in præsentia adiciam; de eo enim jam

CAPUT I.

De depositione.

Jamdiù quidem in Ecclesia, & à primis sæculis, indici consuevit adversus reos gravissimorum criminum poena depositionis; sed depositionis nomen, quoad ego noverim, sexto primùm sæculo in canonibus usurpatum adparet, apud Patres Agathenses in can. 35. caus. 12. quæst. 2., apud Dionysium Exiguum in versione canonum Apostolicorum, can. 3. 27. 31. 32. & 47. item in versione canonis 1. Neocæsariensis, apud Martinum Bracharensem in can. 17. dist. 30., apud Gregorium Magnum in can. 7. caus. 2. quæst. 1., & can. 44. caus. 2. quæst. 7. Si in contrarium obijciatur can. 10. caus. 22. quæst. 1., qui Pio Papæ tribuitur, observandum sanè erit, falsò illud monumentum adscriptum eidem Pontifici fuisse, quemadmodum alio in loco mihi ostendendum fuit. Insuper falsò adscriptum fuit Toletano I. Concilio anni 400., quod de depositione legitur in can. 6. dist. 54., seu, quod idem est, in cap. 2.

superiùs agendum fuit, cum traderetur, quid inter anathema, & inter excommunicationis censuram discriminis intercederet. Superest igitur, ut de depositione, & de irregularitate sermonem instituamus. Et quamquam irregularitas non semper poena sit, quia tamen sæpè numero talis habetur, non erit abs re universa hoc in loco recensere, quæ ratione ejusdem notæ fuerunt sacris canonibus constituta.

de serv. non ordin., siquidem canoa ille referri potius debet ad Capitularia Francorum, uti ostendendum mihi fuit in meis adnotationibus in Gratianum. Quòd si obijciatur canon 19. caus. 11. quæst. 3. depromptus ex Concilio Carthaginensi IV. sub finem quarti sæculi celebrato, omnis difficultas evanescit, quoties cum Romanis Correptoribus observetur, pro illis verbis, *si laicus est, excommunicetur, si Clericus, deponatur*, ita legendum esse, *sive Clericus, sive laicus excommunicetur*. Nihil adicio ad canonem 9. dist. 28., qui est Concilii Neocæsariensis, ubi quòd verbum depositionis occurrit, usurpatum fuit à Dionysio Exiguo Græci textus recentiore Interprete; & reverà in Codice, qui dicitur Ecclesiæ universæ, pro illis verbis *ab ordine deponatur*, legitur, *ordine suo moveatur*. Similiter adnotandum est ad canonem 1. dist. 47., ubi pro verbo *deponatur*, alii Interpretes legerunt *damnetur*. Erant ergo quædam veterastæ

formulae, quæ olim usurpabantur ad idem significandum, sive ad demonstrandum, Clericos ab officio sacro deijci, quæ sanè identidem etiam à recentioribus retentæ fuerunt. Ut plurimum istæ erant, ab officio, vel à clero, vel à ministerio abjici, aut deijci, aut retrahi, aut cadere, aut cessare, aut moveri, aut precipitari, aut revocari, cap. 7. dist. 24., cap. 1. dist. 34., can. 7. dist. 45., can. 6. dist. 46., can. 1. dist. 48., cap. 19. & 41. caus. 12. quæst. 2., can. 1. Concilii Neocæsariensis in Codice Ecclesiæ universæ. Item *non perseverare in clero*, can. 2. dist. 58., vel *degradari*, can. 5. dist. 46., can. 5. dist. 47. *carere* aut *privari* loco, seu dignitate, seu officio, can. 5. dist. 24., can. 2. dist. 28., can. 10. dist. 50., cap. 5. ne Cler. vel Monachi; denique, ut alias omittam numero plures similes formulas, *aliquos fieri à ministeriis*, vel à *regula*, can. 5. dist. 19., can. 2. dist. 47.

Vel ex ipsis nuper commemoratis veteribus formulis, vel ex recentiore depositionis nomine, facilè intelligitur, nihil aliud esse depositionem, quam de gradu, officio, & beneficio dejectionem; undè liquet, circa eadem versari poenam depositionis, circa quæ versatur censura suspensionis. Id adeo verum est, ut in canonibus ecclesiasticis identidem eadem formulæ adhibitæ fuerint ad significandam aut suspensionis censuram, aut depositionis poenam. Contigit in hac re, quod contigit in poena anathematis, & censura excommunicationis, quæ licet multum invicem distent, quandoquæ tamen nomina anathematis, & excommunicationis promiscuè usurpata scimus. Supervacuum est in præsentia regulas tradere, quibus ostendam, quomodo in canonibus distinguendæ sint istæ formulæ, & quando ad suspensionem, quandonam ad depositionem referendæ. Sufficiet respicere ad regulas à me positas, dum anathema ab excommunicatione superiùs secretabam; eadem enim proportione servata & depo-

sitioni accommodabuntur. Sic, ut exemplum proferam, ubi quis dicitur ad tempus deijci, erit suspensio, non depositio, uti in can. 16. dist. 81., depositio verò, non suspensio, cum absolute; aut in perpetuum pronuntiatur, uti in can. 3. dist. 24., can. 1. dist. 48., can. 43. caus. 1. quæst. 1., & can. 5. caus. 26. quæst. 5. Id aut magis perspicuè intelligatur, notare juvat in primis, in quibusdam suspensio cum depositione conveniat, deinde in quibus suspensio à depositione distinguitur. Conveniunt primò in eo, quòd utraque solis Clericis, vel religiosis hominibus imminat; secundo in eo, quòd utraque aut totalis esse potest, uti Pragmaticè loquuntur, aut partialis: totale dicunt, cum fit, & ab ordine, & ab officio, & à beneficio; partialem, cum quis ab aliquo jure cadere jussus, cætera adhuc retinere permittitur; tertio in eo, quòd qui depositionem continent, & ea exercet, à quibus depositus est, æquè irregularitatem contrahit, ac si suspensionem violavisset, cap. 2. de Cler. excom. min.; quarto in eo, quòd iis, qui communicant in eo, à quo facta est depositio, excommunicatione notetur æquè ac si cum suspensio communicaret, dicto cap. 2. de Cler. excom.; quinto in eo, quòd æquè depositio, ac suspensio, & ipso jure, & sententia iudicis indici possit, can. 6. caus. 9. quæst. 2., cap. 1. de homicid. in 6., cap. 5. de poen. in 6. Ex his omnibus factum puto, ut ob affirmatam, quam depositio habet cum suspensionis censura, minime dubitaverit Paulus II. recensere eam poenam, utur improprè, inter censuras, extrav. 2. de simonia. Ceterùm in eo primùm differunt, quòd suspensio ad tempus, depositio in perpetuum infligitur, cap. 4. de Cler. excom. min.; secundo in eo, quòd suspensio ab ordine non semper sit censura, sed aliquando, uti suo loco observandum fuit, prudens quædam œconomia, quæ certis in causarum adiunctis

sacrorum decori consulari; ac depositio semper est poena, quae crimen certum ac probatum sequitur, can. 7. dist. 36., can. 2. dist. 74., atque ideo semper requiritur aut citationem, aut monitionem; citationem, cum infligitur ob enorme flagitium, monitionem eum infligitur ob pervertitiam, aut diurnam delinquendi consuetudinem, cap. 3. de Cler. excom. m. h. Tertio differunt in eo, quod quamquam depositio, uti suspensio, aut totalis sit, aut partialis, in hac raris parte observatur, etiam qui absolutus & simpliciter deponitur, quin exprimat hanc quibus iuribus cadat, non eo ipso ab universis iuribus, sed dumtaxat ab ordine depositam intelligi, contra quam vigeat in suspensione, qua absolute pronuntiata censetur quis ab omni iure suspensus, nisi superius unimadvertere debuit. Siquidem obtinuit, depositionis nomen per se dejectionem ab ordine specialiter significare non ab officio, & beneficio, nisi id specialiter exprimat, can. 16. dist. 28., cap. 3. de vita & hon. Cler. cap. 24. de accusat., cap. 12. de Cler. pugn. in duel. Quarto denique differunt in eo, quod singularis aliquando sit depositionis formula, & magis sollemnis, quam suspensionis. Etenim duplex depositionis species agnoscitur, prior simplex & verbalis appellata, quae nudis verbis, sit sive ore tenus prolatis, sive scripto editis, posterior realis, seu actualis, & proprio nomine degradatio, quae fit publice & solemniter, Clerico insignibus sui ordinis palam spoliato, quemadmodum adparet ex cap. 2. de penis in 6., & ubertius ex Pontificali Romano, ubi dicitur: Generalis regula est, eum solum posse deponere qui jurisdictionem habet in foro externo, hinc qui iam ab honore suo & dignitate depositus est, alium deponere nequit, argumento can. 35. 36. & 37. caus. 24. quest. 7. Ceterum non omnes de converso qui jurisdictione pollent, indiscriminatim deponere valent. In primis, quidquid olim vigeret,

hodie certum est, Episcopos non nisi auctoritate Pontificis Maximi posse deponi, Concilio Tridentino sess. 13. de ref. cap. 8., & sess. 24. de Ref. cap. 5. Presbyteri autem, & Diaconi olim ab Episcopo solo deponi non poterant, sed tantum vel auctoritate Concilii Provincialis, vel convenientibus aliquibus Provincia Episcopis, can. 11. & ult. caus. 15. quest. 7., cap. 2. de translat. Episc. cap. 3. de sent. & re-judic., cap. 2. de penis in 6., ita ut in depositione Presbyteri sex, in depositione Diaconi tres Episcopos convenire oporteret, can. 1. 3. 4. 5. caus. 15. quest. 7. Neque opponatur capitulum 9. de heret. in fine, & capitulum 1. de capell. monach., ubi traditur, sicut ordinari & institui Sacerdotes ad Episcopatum pertinet, ita posse Episcopum eosdem de gradu deicere, siquidem non eadem sibi tribuitur Episcopo potestas, quasi per se solum ipse ea uti possit, sed ne Sacerdotes ab alio inferiore extra Episcopum conscientiam deponerentur, quod ego adeo verum puto, ut Praelati Episcopos inferiores, & quasi Episcopali jurisdictione, dignitate, ac Diocesi non gaudentes, etiam si collationem beneficii singulari titulo adquisiverint, nequeant collato beneficio Clericos spoliare, nisi & deponendi jurisdictionem singulari etiam titulo se adquisisse demonstrent. Quod de Diaconis dictum est, ad Subdiaconos deinde proratum fuit, postquam Subdiaconatus in sacrorum ordinum numerum relatus est. In minoribus autem ordinibus constitutos poterat deponere Episcopus ea non servata celebritate, dicto cap. 2. de penis in 6. Immutata fuit hac disciplina a Concilio Tridentino in cap. 4. sess. 13. de Ref., ubi cautum legitur, ut Episcopo per se, seu illius Vicario in spiritualibus generali contra Clericum in sacro etiam Presbyteratus ordine constitutum, etiam ad illius condemnationem, nec non verbalem depositionem, & per se ipsum etiam ad actuale ac-

que

que solemnem degradationem ab ipsis ordinibus & gradibus ecclesiasticis, in casibus, in quibus aliorum Episcoporum praesentia in numero à canonibus definitio requiritur, etiam absque illis procedere liceat, adhibitis tamen & in hoc sibi adsisentibus totidem Abbatibus usum mitrae, & baculi ex privilegio Apostolico habentibus, si in Civitate, aut diocesi reperiri, & commodè interesse possint, alioquin aliis personis, quae aetate graves, ac juris scientia commendabiles existant. Sed haec vera sunt in depositione ab ordinibus, non à beneficiis, in qua solus Episcopus sententiam dicere potest, quod facile dignoscitur ex Pontificali Romano sub titulo: *Degradationis forma*. Exceptio item est in depositione haereticorum, ad quam unus Episcopus procedere potest, cap. 1. de haeret. in 6. Non debet autem, nisi ex justa causa, imò & gravissima, ad depositionis sententiam deveniri, can. 7. dist. 155., can. 2. dist. 74., cap. 3. de sentent. & re-judic., ita ut adhuc gravior requiratur ad actuale, quam ad verbalem & simplicem depositionem. Regula generalis est, quae tradi potest, omnia crimina, adversus quae publica accusatio instituitur, causam praebere posse, ut quis deponatur, can. 1. dist. 48., can. 7. dist. 50., quamquam exitu inspecto non semper ex istis ad depositionem deveniatur. Item receptum erat apud veteres, ut quae crimina inducebant irregularitatem, ea etiam obnoxium Clericum redderent depositioni, qua in specie depositio nihil aliud erat, quam irregularitatis executio, dicto can. 1. dist. 48. Non tamen è converso quaecumque crimina, ob quae quis deponi poterat, irregularitatem inducebant. Praeterea veteres canonum auctores saepe eò respiciebant, ut quibus ex criminibus excommunicatione majore, aut anathemate laicos plecterent, ex iisdem adversus Clericos depositionem indicerent, can. 30. ex apostolicis, can. 7. 8. caus. 1. quest. 1., can. 10. caus. 22. quest. 1.,

can. 19. caus. 26. quest. 7., cap. 8. de vita & honest. Cleric., non tamen è converso, cap. 7. de crimine falsi. Insuper non omnia crimina, quibus olim imminere poena depositionis, Clericum depositum poenitentia publica subiciebant, at è converso quae etiam in Clericis singulari disciplina publica poenitentia erant expianda, occasione praebant depositioni. Evidens hujus rei argumentum colligitur ex can. 9. dist. 28., ubi statuitur, Presbyteros matrimonium contrahentes tantum ab ordine suo deponi debere, iam verò praeter depositionem etiam publice poenitentia subijci, cum fornicati fuissent, vel adulterium admisissent. Aliud sane servabatur, si poenitentia fuisset privata, de qua intelligendus est canon 5. dist. 82., aut si non fuisset omnino publica, velati cum Clericus poenitentia causa aut in monasteria, aut in diaconica detradebatur. Item regula erat, quae tradebatur, multa crimina subijcere Clericos depositioni, si publica forent, non si privata, sive occulta, can. 33. dist. 50., can. 10. caus. 30. quest. 1., cap. 4. de tempor. ordin., cap. 20. de simonia, cap. 7. de crim. falsi. Porò univversa graves causae, ex quibus ad depositionem ex canonum disciplina proceditur, ad tria summa capita commode referuntur. Primum caput est, cum Clericus ea perpetraverit, quae ecclesiasticae conditioni adversantur. Alterum, cum Clericus haberet longam delinquendi consuetudinem, & licet pluries poenitus, non resipuerit; postremum est, cum agitur de flagitiis enormibus, quae puniri oportere gravissimis suppliciis publica postulat disciplina. Quoties postremum caput depositionis locum facit, Canones ecclesiastici depositionem absolute inducunt, can. 7. dist. 50., can. 6. dist. 92., can. 3. caus. 3. quest. 5. At si ex primo, vel secundo capite depositio indicatur, ferè obtinuit, ut sub conditione sacri Antistitis jubeantur ad depositionem devenire, nimirum si Cle-

ri-

ricus non cessaverit, si se non emendaverit, can. 3. dist. 44., can. 5. dist. 46., can. 9. dist. 92., cap. 8. de vita, & honest. Cleric., cap. 5. ne Cler. vel Monach., cap. 1. de Cler. percuss., & idem in his speciebus monitione opus est, antequam ad depositionis sententiam deveniant, can. 30. ex apostolicis, can. 24. caus. 12. quæst. 2., cap. 3. de Cler. excom. ministr.

Jamverò enumeremus plurimas ecclesiasticas leges, ex quibus certis in casibus indicta fuit poena depositionis. Dixi in primis, depositionem esse definitam adversus Clericos ea admittentes, quæ conditioni clericali adversantur. Id verum est, cum illi judicium sanguinis exercerint, can. 29. 30. caus. 23. q. 8., cap. 5. ne Cler. vel Monach., cum pugnaverint in bello, can. 6. caus. 23. quæst. 8., cap. 5. de penis, cum percutiendo, ac cadendo terrorem incusserint, can. 7. dist. 45., cap. 1. de Cler. percuss., qui judicia Ecclesiæ tempererint, & in Ecclesiasticis causis publica potius judicia postulerint, can. 11. 44. caus. 11. quæst. 1., qui uxores, vel concubinas habuerint, can. 2. dist. 28., can. 10. 11. dist. 32., can. 16. 17. 18. 19. 20. 29. dist. 81. can. 2. 3. 4. dist. 82., can. 4. dist. 84., qui viduam, vel ab alio dimissam duxerit, can. 8. dist. 50. simoniaci, can. 3. caus. 7. quæst. 1., res Ecclesiæ pro effroni luitu dispergentes, can. 13. 19. 20. 35. 41. caus. 12. quæst. 2., can. 1. caus. 17. quæst. 4., can. 5. caus. 19. quæst. 3., beneficia obtinentes sine consensu Episcopi, cap. 4. & 21. de jurepatron., & denique negligentes in divinis officiis, & ecclesiasticis ministeriis, can. 2. 3. 4. dist. 91., can. 9. dist. 92. Singulares etiam causæ sunt, quibus poena depositionis Episcopis ex eodem capite immineret, videlicet qui consecraverint Episcopum non legitime electum, item qui non præcedente electione fuerint consecrati, can. 3. dist. 62., qui transierint ad alias occupandas Ecclesias, can. 6.

caus. 9. quæst. 2., qui ordinaverint extra legitima tempora, cap. 2. de tempor. ordin., qui susceperint, & ordinaverint Clericum alienum invito vel ignorante ejus Episcopo, can. 1. caus. 21. quæst. 2., qui ordinaverint invitos, can. 7. dist. 74. vel imperitos, can. 2. dist. 36., vel neophytos, can. 1. dist. 48., vel alias irregulares, can. 1. 5. dist. 51., can. 3. dist. 81. Singularis quoque depositionis causa est respectu Sacerdotis, qui se conjunxisset turpiter cum ea, quam baptizavisset, can. 8. caus. 30. quæst. 11, item respectu Sacerdotum Confessiones fidelium excipientium, si se cum poenitente polluerint, can. 9. 10. caus. 30. quæst. 1., si delicta non celaverint fidei suæ in Sacramentali confessione commissa, can. 2. de poenit. dist. 6., cap. 12. de poenit. & rem., si raptoribus impoentibus, & restituere idretactibus absolutionem concesserint, cap. 2. de raptor., si alienum Parochianum poenitentia causa susceperint, can. 3. de poenit. dist. 6. Respectu diaconorum scimus, depositionem fuisse indictam, quoties modum suum non agnovissent, can. 14. dist. 93. Denique respectu Clericorum omnium infra Episcopos constitutorum erat aliquando indicta depositio, si aliud altare erexerint extra Episcopi sui consensum, can. 25. de consecr. dist. 1., si obedientiam Episcopo debitam denegaverint, cap. 15. de excess. Prælat., si interdicium aut excommunicationem a superiore indictum non servaverint, cap. 3. de Cler. excom. min., si noluerint obtemperare Episcopo volenti eos ad superiores ordines promovere, can. 3. 4. dist. 74., si ab Episcopo suo discesserint, ut ab alio ordinarentur, à quo verè ordinati fuerint, can. 1. caus. 21. quæst. 1., si illegitimis modis ordinati fuerint, veluti extra tempora, cap. 2. de tempor. ordin., aut alias irregulares, can. 1. dist. 48., can. 1. 5. dist. 51. Dixi secundo loco, depositionem esse definitam à sacris canonibus, cum

Clericus habuerit diuturnam delinquenti consuetudinem, & licet pluries monitus, non resipuerit. Hujusmodi sunt, qui ebrietati, aut aleæ serviunt, can. 1. dist. 35., qui tabernas frequentant, can. 3. dist. 44., maledici, can. 3. dist. 46., scurrilitate dediti, can. 6. dist. 46., qui sanctimonialium monasteriis, assiduè cum sacris virginibus oriantur, cap. 8. de vita, & honest. Cleric., qui malè versantur in rebus Ecclesiæ, can. 24. caus. 12. quæst. 2., qui ecclesiastica patrocinia acceptis muneribus vendunt, can. 1. caus. 15. quæst. 2., & qui usuris, & similibus turpis lucri cupiditatibus incumbunt, can. 1. 2. 5. dist. 47., can. 2. 3. dist. 88., can. 4. dist. 91., can. 3. 4. caus. 14. quæst. 4., can. 3. caus. 21. quæst. 2., cap. 4. ne Clerici vel Monachi, cap. 1. de usuris.

Tertio loco dictum est, eos depositioni subjacere, qui gravissima, & enormia flagitia admittunt. Hujusmodi sunt apostatæ, aut hæretici, can. 32. dist. 50., can. 10. 21. caus. 1. quæst. 7., cap. 9. de hæreticis, eamque ob causam depositos apud veteres scimus illos, qui certa jejunia peregissent, aut à certis cibis abstinuissent, adherentes in hac parte delictis Manichæorum, can. 17. dist. 30. Hujusmodi sunt cum Judæis habitantes, & azyma cum ipsis celebrantes, can. 13. caus. 28. quæst. 1. Hujusmodi sunt adulatores, & proditores illi, de quibus mentio est in can. 3. dist. 46., qui videlicet, dum Christiani ab Æthnicis vexarentur, Christianos probebant apud Æthnicos Magistratus, ut istorum gratiam sibi captarent. Hujusmodi sunt blasphemii, & perjuri, can. 10. caus. 32. quæst. 1., can. 19. caus. 22. quæst. 5., & qui Aruspices, & Magos consuluerint, can. 5. 13. caus. 26. quæst. 5. Hujusmodi sunt, qui insidias adversus suos Episcopos moluntur, can. 8. caus. 3. quæst. 4., can. 3. caus. 3. quæst. 5., præsertim verò si seditiones concitaverint, can. 18. 21. 22. 23. 24. 25., & 31. caus. 11. quæst. 1., can. 5. caus. 11.

quæst. 3., can. 42. 43. 44. caus. 23. quæst. 5., cap. 15. de excess. Prælat. Hujusmodi sunt qui duellum obtrulerint, aut oblatum susceperint, sive victi fuerint, sive victores evaserint, cap. 1. de Cler. pugn. in duello. Hujusmodi sunt homicidæ, cap. 6. in fine, cap. 7. & passim de homic., item qui graviter quemquam cæciderit, ex. gr. oculum avulserit, uti in can. 13. dist. 55., aut semetipsum abscederit, can. 4. & 9. dist. 55. Hujusmodi sunt calumpniatores, & falsi testes in judicio criminali & publico, can. 7. dist. 50., can. 3. caus. 5. quæst. 6., cap. 7. de crim. falsi: falsas edentes aut Principum, aut Pontificum Maximorum epistolas, can. 7. dist. 50., cap. 3. & 7. de crim. falsi. Hujusmodi sunt contra naturam coeuntes, cap. 4. de excess. Prælat., & qui consentiunt raptoribus puellarum, can. 1. 4. caus. 36. quæst. 2., cap. 4. de purgat. canon. Denique hujusmodi sunt, qui elemosynas, quasi in prædæ participationem à raptoribus accepterint, vel sepultura raptorum interfuerint ante eorundem absolutionem, cap. 2. de raptoribus.

Admodum latè per varia crimina, ut liquet, vagati fuere ecclesiastici canonones, quum depositionis poenam indixerunt. Non adeo tamen gravem Episcopis obligationem imposuerunt, ut sine discrimine ad eam inferendam poenam devenirent, sed nonnulli prudenti eorundem arbitrio reliquerunt. Sic ubi multitudo peccantium aliquid de rigore juris remittendum esse suadebat, à depositione abstinendum esse definitum est, can. 25. dist. 50., cap. 4. de Cleric. excom. min. Temperanda quoque fuit austeritas canonum, quo casu qui delinqueret, non dolo, & plena consensione delinqueret, sed infirmo animi consilio, veluti qui ignorantiam causam dederit, cap. 7. de crim. falsi. Atque hoc in sensu recipi potest, quod legitur sub nomine Augustini in can. 1. in fine de poenit. dist. 6., non semper Pontificem justum, atque discretum cogi. Sacerdo-

tes suos abjicere. Ex hoc factum puto, ut depositionis poena plurimis in casibus à canonibus præstituta infrequens admodum sit, & non nisi in gravioribus infligi solet; statim ac enim canones rem universam in prudens Episcopi arbitrium contulerunt, humanitas, & indulgentia sæpe locum sibi vindicavit. Atque hæc ipsa moderatio nec fuit à sacerdotibus canonibus improbat; siquidem recentiores canones multis in casibus abrogaverunt veterem depositionis ferendæ legem, & pro depositionis poena opportunius sanxerunt, ut censura suspensionis infligeretur. Ut exempla proferam, cautum erat apud veteres, ut deponerentur Clerici percussores, can. 7. dist. 45. cap. 1. de Cler. percuss. Inde verò satis visum fuit, si suspenderentur, cap. 2. eod. tit. Olim deponerentur Clerici usurarii, cap. 1. de usur., inde indicta suspensio; cap. 7. eod. tit. Deponerent veteres eos, qui non ordinati fuissent statutis temporibus, cap. 2. de tempor. ordin.; recentiores suspenderunt, cap. 7. eod. tit. Contra ordinatos sine titulo statuta quoque olim erat depositio in can. 1. dist. 80., quæ disciplina abrogata inde fuit in cap. 16. de præbend. Denique qui ordinabantur in alia Ecclesia, & à non proprio Episcopo, depositioni subiciebantur; suspensionem deinde illatam fuisse constat ex cap. 2. de tempor. ordin. in 6. Multa alia non memoro. Tantum generaliter dicam, ubi nota irregularitatis inusta fuit adversus certorum criminum reos, sæpe visum fuisse supervacaneum, ut ulterius ex judicis sententia deveniret ad depositionem; ubi verò nulla irregularitas imminet, arbitrio Episcopi relictum fuisse, ut pro facti atrocitate ad depositionem usque progrediatur.

Quando verò duplex est depositio, verbalis, & realis, sive actualis; verbalis, quæ depositio in specie dicitur, cujus in re nulla statuta est formula, quæ locum habere potest & in officio, & in beneficio, & in ordine; actualis,

seu realis, quæ degradatio propriè appellatur, & quæ Clericum etiam à foro ecclesiastico ejicit, & cujus certa constituta fuit formula, ac solemnitas, uti liquet ex can. 65. caus. 11. q. 3., cap. 2. de penis in 6., & in Pontificali Romano sub titu *Ordo suspensionis & degradationis* disputata est elegantissima, dum queritur, quid inter utramque discriminis intercedat, & quibusnam in casibus Episcopus devenire ad degradationem possit, per quam fieri solet, ut Clericus reus à fori privilegio cadat, & sæculari curiæ tradatur. Multa in proposito sunt observatione digna. Certum in primis est, apud veteres nomina depositionis, & degradationis promiscuè usurpata fuisse, argumento canonis 1. dist. 47. juncto can. 5. ejusd. dist., & can. 1. caus. 15. quest. 2., argumento can. 35. juncto 41. caus. 12. quest. 2., quod adde verum est, ut temporibus Bonifacii VIII. adhuc nullum discrimen inter hæc vocabula agnosceretur, uti liquet ex cap. 2. de penis in 6. Tantum obtinuit recentissimis sæculis, ut quæ poena Clericos à privilegio fori excluderet, ea degradatio appellaretur, quæ non excluderet depositio. Quidquid tamen fuerit de vocabulis, quorum non magna debet esse sollicitudo, re inspecta posset inter utramque adsignari discrimen, vel ratione habita effectus, vel ratione habita formulæ, sive solemnitatis; quæ discrimina an veteribus agnita fuerint, non est apprime exploratum, propterea quòd nulla in medium proferri possent monumenta decimotertio sæculo antiquiora. Nimirum si effectus consideremus, & in degradatione agnoscamus, Clericum fori privilegio privati, novi equidem Alexandrum III. id tradidisse in cap. 4. §. 1. de judiciis, & paulò postea Innocentium III. in cap. 27. de verb. sign., neque tamen illis adherere, qui id colligunt ex Cælestino III. (fortè ex Clemente III.) in cap. 10. de judiciis. Recensentur in hoc capitulo quasi per gradus poenæ ab ecclesiastica

potestate infligenda, depositio primum, deinde excommunicatio, tertio anathema, postremò concluditur, reum esse à sæculari potestate coercendum, cum Ecclesia non habeat ultra, quod faciat. Putaverunt quidam, depositionem, quæ primo loco ibidem memoratur, depositionem esse verbalem, quum verò subjicitur, reum à sæculari comprimendum esse potestate, depositionem actualem, sive solemnem intelligi. Verum poenitius rescriptum Pontificis consideranti nihil tale occurrit: tantum dicitur, tres esse poenas ab ecclesiastica potestate infligendas, depositionem, excommunicationem, & anathema, aliam sanè alia graviorem, post quas excitari oportere, fortè etiam spontè, atque ex officio publicos Magistratus, ut poenis civilibus reos contumaces plectant. Reverà poena depositionis, quæ ibidem prima est, reum arceat à communione clericali; excommunicationis censura secundo loco commemorata reo interdicit communionem Christiana generali; anathematis poena, quæ tertia est, reum poenitus ab Ecclesia eliminat, juxta naturam anathematis jam à me superius explicatam. Quæ cum ita sint, quis sibi persuadere facile possit, ut post anathema adhuc supersit inferenda adversus Clericum degradatio, quæ reus fori privilegium etiam amittat, nisi putet, quod non esse eam aspernam poenam, & eradicantem, quale perpetuò sacri canones exhibuerunt, nisi insuper putet, jus ecclesiastici fori, quod privilegium est, difficultus, & non nisi supremo loco posse interire? Aptius ego dixerim insistens in generalibus principiis superius positus, duplicis generis depositionem esse, totalem, ut vocant, quæ omnibus omnino juribus privat, & partialem, quæ aliquibus tantum, modò pluribus, modò paucioribus, non tamen universis jura autem Clericorum ad quatuor summa capita reducentur. Primum est exercitio ordinum; alterum dignitas, jurisdicção, vel officium; tertium beneficium; pos-

tremum privilegia sive canonis, ut ajunt, sive fori. Prioribus quinque sæculis non alia esse depositio poterat, quam ab executione ordinis, dignitatis, jurisdicçãois, officii, & beneficii. Quamquam enim beneficiorum origo recentior videatur, aliqua tamen ratione depositus à beneficio Clericus alim videbatur, qui excluderetur à participatione reddituum ecclesiasticorum, quibus in communi uti poterat. At sexto sæculo explicata apud viros ecclesiasticos exemptione fori publici, cepit ad hoc jus depositio extendi, ac deinde sæculo duodecimo extensa etiam fuit ad privilegium canonis, utpotè quod primum concessum fuit à Concilio Lateranensi Innocentii III. in cap. 29. caus. 17. quest. 4. Hinc orta est, atque lux referri commodè potest memorata distinctio inter depositionem verbalem, & degradationem solemnem, seu actualem; ita ut depositio verbalis esse creperit partialis minime excludens Clericum à privilegiis fori, & canonis, & degradatio actualis esset verè totalis depositio, privans etiam privilegiis memoratis.

Si ad formam respiciamus, ex qua discrimen agnoscat inter depositionem, & degradationem, distinguenda sunt solemnitates illæ, quæ postulant certum numerum Prælatorum, uti superius dictum est, à formulis verborum, quæ adhibendæ erant. Quòd spectat Prælatorum numerum, fuerit in Nicæno Concilio can. 5. statutum jam in, ut depositio fieret in Provinciali Concilio, deinde Carthaginensi Concilia decreverunt, ut etiam extra Provinciale Concilium fieri valerent, dummodò plures Episcopi convenirent, can. 3. 4. caus. 15. quest. 7., quod & ab aliis Provinciis extra Africam receptum est, can. 7. caus. 15. quest. 7., & tandem abiit in generale disciplinam, cap. 2. de translat. Episc., cap. 3. de sent. & re jud., cap. 2. de penis in 6. Primus Bonifacius VIII. excepit ab hac solemnitate depositionem ex causa hærescos, uti liquet ex cap. 1. de hæret. in 6.; insuper declaravit, non

esse opus ea solemnitate in Clericis in-
noribus deponendis, dicto cap. 2. de po-
nis in 6. Denique quod statueret Boni-
facius in crimine hæreseos, Concilium
Tridentinum in cap. 4. sess. 13. de Re-
form. ad omnia crimina extendit; quo-
rum causa Clerici essent deponendi. Qui-
cumque has omnes constitutiones appri-
mè perpendit, nullum in iis discrimen
agnoscit hac in parte inter depositionem
& degradationem. Siquidem veteres cano-
nes ex Codice Gratiani laudati ante-
vertunt omnes tempora explicati privi-
legii fori clericalis, & canonis; & recen-
tiora decreta, aut ex Gregorii Decretali-
bus, aut ex Sexto edita, referuntur ad
antiqua, atque ex antiquis interpreta-
tionem recipiunt. Imò Bonifacius VIII.
in dicto cap. 2. de penis harum solemp-
nitatum mentionem faciens, æquè in ver-
bali, ac in solemnè degradatione eas ad-
mittit, quod etiam fit in laudato Tri-
dentino decreto. Quamobrem statui pos-
test, nullum derivari posse ex sacris cano-
nibus discrimen in hac solemnitate
specie inter utramque depositionem.

Forma quoque deponendi per sym-
bola, quibus sacris indumentis depo-
nendus exuatur; adhibitis verborum for-
mulis, quæ formulis ordinationis oppo-
nantur, est antiquissima, ut colligitur
ex Toletano Concilio anni 633, & cujus
est canon 67. *cap. 11. quæst. 3.* ubi
dum decernitur, in restitutione inique
depositi reddenda esse symbola sacræ or-
dinationis, liquet, eadem fuisse ablata
in depositione. Neque verò primum id
inductum esse ex hoc Toletano canone,
quandoquidem ita exhibetur eadem dis-
ciplina, ut jamdudum recepta fuisse vi-
deatur, unde liquet, eam formulam pro-
babiliter privilegio fori, & certè privi-
legio canonis fuisse longè antiquiorem,
atque ideo adhiberi consuevisse vel in
una depositione ab exercitio ordinis,
quod etiam ex eo constat, quod formu-
la istius natura aptius accommodetur in-
terdicendis sacris ministeriis, quam pri-
viationi privilegiorum, cum qua nihil ha-

bet, quod convenire nullo modo possit.
In subsequentibus statutis Ecclesie legi-
bus usque ad Bonifacium VIII. nulla ad-
paret disciplinæ immutatio. Primus Boni-
facius in dicto cap. 2. de penis ex-
pressè cavet, ut ea formula in degra-
datione actuali non ommitteretur, quin
illud ipsum statueret peragendum in de-
positione verbali. Indiget id singulari
animadversione. Receptum quidem erat
apud veteres, ut in depositione, sive par-
tiali ab ordinis exercitio, sive totali
abs juribus universis, sacra symbola au-
ferrentur; non tamen Episcopi semper
ea auferbant, propterea quod id non ad-
paret expressa lege præceptum. Editis
in lucem falsis Decretalibus Mercatoris,
obtinere cepit, ut Clerici depositi cer-
tis in casibus post penitentiam restitui
in pristinum gradum Episcopali auctori-
tate valerent, uti liquet ex quibusdam
canonibus relatis apud Gratianum in
dist. 50. In his speciebus omittentur Epis-
copi privationem symbolorum, ne ite-
rum symbola redderent, dum peniten-
tes Clericos essent restitutori. Hoc deli-
ctorum discrimen indicatur in cap. 4.
de iudicis ibi: *sunt talia crimina, propter
quæ Clerici sunt ab altaris ministerio perpetuò
removendi.* Notanda sanè est particula illa
perpetuò, qua significatur, adimi spem
omnem restitutionis. Subsequitur Alex-
ander III. & ait: *De adulteris vero, &
aliis criminibus, quæ sunt minoria, potest Epis-
copus cum Clericis post penitentiam dispensare.*
En delicta, depositione quidem digna,
sed spe facta restitutionis, & in quibus à
privatione symbolorum abstinerebatur
tempore depositionis. Quicquid usus
esset sæculi duodecimi, & decimertii,
ut pro diversitate delictorum diversa
quoque adhiberetur deponendi formula,
Biterrensis Episcopus consuluit Bonifacium
VIII., qua ratione ad degradationem
procederetur; Bonifacius autem rescipit,
distinguemdam esse actualem degradationem
à verbali depositione in dicto cap. 2. ita
ut dum actualis degradatio fieret, qua Clericus

in

in perpetuum removebatur à ministerio,
& tradebatur Curie seculari, sacra sym-
bola auferrentur; quin opus esset sym-
bolorum privatione, quoties Clericus non
esset tradendus Curie seculari, sed ad-
huc disciplinæ ecclesiasticæ obnoxius pen-
itentia subiceretur, donec fortè resti-
tutionem impetraret.

Ex his omnibus plura fluunt consecra-
taria. Primum est, post epistolam Isidori
Mercatoris variam fuisse deponendi for-
mulam; adeo ut Bonifacii VIII. tempo-
ribus incerti Episcopi essent, qua for-
mula uterentur. Secundum est, degra-
dationem actualem, prout à fori privilegio
excludit, fuisse incognitam prioribus sæ-
culis usque ad tempora Justiniani Imper-
atoris, argumento Novel. 83. & atque à
temporibus Justiniani non aliter distinc-
tam fuisse à depositione simplici, nisi
quòd illa totalis esset, hæc partialis. Ter-
tium est, ratione habita editorum cano-
num, nullum interesse discrimen inter
utramque depositionem in numero con-
venientium Prælatorum. Quartum est,
hoc tantum interesse discrimen inter
utramque depositionem in auferendis sa-
cris symbolis, quòd in degradatione ac-
tualis necessariò sint auferenda symbola
ex constitutione Bonifacii VIII. in dicto
cap. 2. & ex præscripto Pontificalis; in
depositione autem simplici id relictum
sit Episcoporum arbitrio. Quòd si ex
dicto cap. 2. quis ita argumentaretur: Boni-
facius symbola sacræ auferenda consen-
titur in actuali; ergo auferri vetuit in
verbali depositione; ergo contra reponem-
rem: Bonifacius præcepit, ut in actuali
auferrentur; ergo ut auferrentur sym-
bola in verbali depositione non præcepit;
ergo prædicti Episcoporum arbitrio reser-
vavit.

Quæ superius generaliter dicta sunt
de auctoritate Episcoporum in deponen-
dis Clericis quibuscumque sibi subjec-
tis, æquè ad degradationem actualem,
ac ad simplicem depositionem referuntur.
Sufficeret ad id demonstrandum, dice-
re, nullam apparere de actuali degra-

ad tione reservationem. Sed adhuc ad-
dicere possum, sollicitudinem ipsam sacrorum
canonum in præstituentis cautionibus,
quibus ad eam degradationem proceda-
tur, satis evincere, eandem prudenti An-
tistitum arbitrio committi. Imò & ge-
neraliter auctor canonis 1. de poenit.
dist. 6. in fine agnoscit in Episcopo ar-
bitrariam quandam facultatem, qua An-
tistes ex prudentia sententiam moderan-
tur; non excoquant tantum sententiam
canonum; ubi: *Pontifex iustus, atque dis-
cretus non cogitur Sacerdotes suos semper abji-
cere.* Adde potest capitulum 1. de cappel-
monachi. Nullibi indicari potest in hac
re mutatio veteris disciplina, nec in dic-
to cap. 2. de penis in 6. nec in dicto
cap. 4. sess. 23. de Reform. in Conci-
lio Tridentino; & quando reservanda fuit
Romano Pontifici depositio Episcoporum;
id expressum fuit in eodem Con-
cilio sess. 13. cap. 8. & sess. 24. cap. 5.
de Reform. Equidem verum est, in
multis canonibus Episcopo mandari, ut
certis in casibus sententiam proferat de-
gradationis; at si quis exinde inferret, in
cæteris casibus similem non competere
facultatem, inferre etiam deberet, actum
esse de Episcopali arbitrio in inferendis
quibuscumque censuris, quandoquidem
multis in casibus mandatum in iure Epis-
copis fuit, ut censuras infligant. Sacri
canones quandoquidem inferendam vo-
luerunt aut depositionis, aut degra-
dationis penam, & regulas quasdam constitu-
erunt, ut Episcopi indicent, quibus
in adjunctis graviorum criminum suum
arbitrium moderentur, & regant, non
verò intra certos casus Episcopalem coër-
cent potestatem; aliis actum esset de vul-
gata, eaque optima distinctione criminum,
quorum alia dicuntur ordinaria, alia ex-
traordinaria; in quibus libera est coër-
cendi etiã penis quibuscumque gra-
vioribus auctoritas, quibus sanè distinctio
maximè deest publicam in quocumque
regimine utilitatem. Cæterum nonnulli
crediderunt, non posse Episcopos ad ac-
tualem degradationem devenire, præter-

quam in casibus, in quibus id in jure expressè constitutum adparet. Duplici ipse errorè versatè deprehenduntur, qui ita senserunt. Prior est, quòd ita tradiderunt sine causa & ne probabile quidem argumentum proferentes. Posterior est, quòd cum ita definitivissent, non alios indicare sciverunt canones degradationem actualem indicentes, quam eos, in quibus expressè diceretur, spoliandos esse Clericos privilegio fori, quin rationem haberent aliorum canonum numero plurium, qui formula æquipollente id ipsum decreverunt.

Et primum quidem inane ipsi fecerunt fundamentum, dum tradiderunt, tantum in casibus in jure definitis Episcopum posse ad actualem degradationem venire. Ajunt ipsi, penales leges de casu ad casum minimè extendi: ergo, concludunt, statim ac certis casibus facultas Episcopo conceditur, in ceteris, denegatur. At si ita res esse habet, eorum Episcoporum censuris inferendis nunquam agnoverunt coercitam potestatem suam, licet in certis casibus censura expressè in jure indicatur. Dicam candidè: Episcopi in reos etiam depositionis sententiam prolaturi, non auctoritatem quam repetunt ex singularibus constitutionum supra laudatis, sed ex generalibus ecclesiasticis regulis, que nunquam facultatem illam in gravissimis delictis sustulerunt; Secus contingeret, uti quando, qui contra scripserunt, anteriorem constitutionem, que eam facultatem Episcopis faciat, minimè laudant, quam Cælestini III., & Innocentii III., nunquam veteres Episcopi eam potestatem habuissent; non est autem tertiumdecimum, aut sequentia sæcula, quibus adaugeri potuerit potestas Episcoporum, variis potius reservationibus imminuta. Profectio neque Cælestinus III., neque Innocentius III., aut novam certis in casibus auctoritatem Episcopis concesserunt in suis rescriptis, aut veterem competentem amplissimam intra certos limites conserunt. Innocentius III.,

cum in cap. 7. de crim. falsi mandaret, ut Clericus Curie seculari traderetur, non ait, se facultatem Episcopo concedere singularem, sed se ita statueri, seu, quod idem est, juxta propositi facti adjuncta, Episcopum ad degradationem adstringere. Hanc fuisse Innocentii III. mentem, ex eodem Innocentio constat, qui post indictam degradationem actualis, ut vocat, penam in eos, qui falsas Apostolicæ Sedis litteras ediderant in dicto cap. 7., docere perrexit in cap. 27. de verb. signi., degradationem etiam à privilegio fori locum habere non solum in dicto crimine falsi, sed etiam quoties admissum esset aliud flagitium grave non solum damnabile, sed damnatum, qua in re se canonibus antiquis adherere professus est. Quidquod Gregorius X. in Concilio Lugdunensi constitutum penam degradationis actualis in bigamos non ait, se id Episcopis specialiter concessione mandare, sed antiquam alterationem definire. Altercatio hæc erat illorum, qui disputabant, an bigamia tale crimen esset, quod ex prudenti Episcoporum arbitrio degradationis actualis pena plecti valeret, capitulo un. de bigamis in 6. Ego sane non percipio, qua ratione uti possint, qui contra senserunt, capitulo 5. de penis in 6. Ajunt ipsi, ne in specie quidem Cardinalium interfectorum definiti ibidem depositionis penam in interficientes. At quid si ego reponam, ideo non definitam, quia ex ordinaria judicii ecclesiastici auctoritate inferri potuisset? Non est profectò ibidem interdictum, ne ad eam inferendam penam deveniretur, imò & si verba capituli considerentur, liquebit facile, in dicti penas gravissimas, quibus nullus modus prestatuatur ac propterea sub generalibus penis ibidem memoratis etiam degradationem actualem comprehendit.

Ut verò intimè res investigetur, & quoad fieri possit eruantur ex veterum tenebris regulæ quædam, ut monumenta mediæ ætatis, que adferri solent,

commodam interpretationem accipiant, distinguenda necessariò sunt duo delictorum genera, quorum alia ecclesiastica sunt, alia publica, quod notavit jamdudum Justinianus in Nov. 83. in fine principii, & cap. 11. relata apud Gratianum in can. 45. caus. 11. quest. 1. In delictis ecclesiasticis universa pendebant ex Episcopi arbitrio, nisi ubi canonum expressa sanctio Episcopale arbitrium conclusisset. Hinc Clerici ecclesiasticis regulis inobedientes modò minore, modò majore, ad depositionem usque totalem, pena puniebantur, & si fortè depositus privabatur privilegio fori, non quidem exinde tradebatur Magistratibus publicis puniendus, cum nulla pena publico civili jure immineret in delictis ecclesiasticis ut plurimum, sed ita habebatur, ac si laicus esset, quo sensu in aliquibus veterum monumentis legitur, Clericum tradi curie servitum, can. 8. caus. 3. quest. 4. can. 18. & 31. caus. 11. quest. 1., quomodo enim curie servire posse intelligitur Clericus, qui à foro Episcopali minimè cecidit? Idem ego censeo, ubi de delictis non ecclesiasticis, sed communibus, & minoribus ageretur, adversus que pena publica in jure non prestatuatur, uti est intemperantia, scurrilitas, ac similia, in quibus perveraces Clerici deponi jubebantur, can. 5. 6. dist. 46. Ubi verò delicta essent publica, & gravia, adversus que legibus publicis capitali pena animadvertetur, prioribus sæculis, cum primum Episcopale forum explicatum est etiam in civilibus causis Clericorum, postulante Magistratu publico, reus Clericus de gradu suo dejectus, & fori privilegio spoliatus, plectendus pena legitima Magistratibus tradebatur, uti in delictis minoribus ut publicis adhuc indulgentia locis esset, dicto cap. 4. §. 1. de judicis, in majoribus nulla dispensatio concederetur, & reus seculari judicio obnoxius fieret, quin tamen definirentur singulis atrocioribus delictis, quod si adhuc generalis regula statui posset, ita concipienda videretur, ut valeat Episcopis pro

buta Isidorus Hispanensi in can. 28. ead. dist. & ideo deponerentur ab officio, quin tamen plectendi penis publicis traderentur Magistratibus. Hinc cõperunt esse minus frequentes depositiones, quæ totales essent, seu quæ Clericum etiam à foro privilegiario egerent, propterea quod Clerici rei, aut verè penitentes aut penitentiam simulantes, præsertim in Collegiis & Monasteriis, spem ultro exhibitam habebant futura restitutionis. Recentioribus sæculis, potissimum duodecimo, cum ad depositionem usque totalem disciplinam respiceretur, ad eam instaurandam adversus abusus, qui gravissimi irreperant in clero, statuendum fuit, ut difficilissimis Clerici atrocium criminum rei restituerentur, ut ut post exactam penitentiam. Pontifices Maximi propter inducendam voluerunt in certis criminibus perpetuam degradationem sublata quacumque spe restitutionis, & talem, qua depositi seculari curie puniendi traderentur. Modus tamen quidam adjectus est, nimirum ut Mercatoris disciplina in concedenda indulgentia, ac dispensatione adhuc adhereretur in delictis quidem gravibus, sed communibus, & ordinariis, ea immutata in enormibus, & extra ordinem majore severitate puniendis. Hujus moderatioris vestigia supersunt in cap. 27. de accusatione, & in cap. ult. de tempor. ordin. Hinc in aperto collocatus videtur sepius Pontificum Maximorum in monumentis illis in quibus degradatio indicitur aut retento, aut non retento fori privilegio, ac specialiter in dicto cap. ult. de tempor. ordin. & cap. 27. de verb. signi. Videlicet statutum est, ut in delictis minoribus ut publicis adhuc indulgentia locis esset, dicto cap. 4. §. 1. de judicis, in majoribus nulla dispensatio concederetur, & reus seculari judicio obnoxius fieret, quin tamen definirentur singulis atrocioribus delictis, quod si adhuc generalis regula statui posset, ita concipienda videretur, ut valeat Episcopis pro

pro arbitrio devenire ad degradationem actualem, quibus in publicis criminibus statutum non est, ut ab ea debeat abstinere, cujusmodi sunt adulteria, & alia minora incontinentiæ delicta, cap. 4. in fine de jud., cap. 4. de excess. Prælat., perjurium, homicidium, falsum testimonium, cap. ult. de tempor. ordin., & furtum, cap. 6. de penis, ubi verba illa, & alii magni sceleribus, intelligenda sunt de criminibus publicis, non tamen gravioribus, & extraordinaria pena acriore puniendis. Reverà certum est, ante Isidorum, Mercatorem omnia crimina publica puniri consuevisse degradatione, & traditione rei Curie seculari, dicta Nov. 83. Primus Isidorus conclusit regulam adjectis quibusdam exceptionibus delictorum, quæ penitentia expiantur, & in quibus spes esset dispensationis, quod in multis casibus receptum est, Igitur suadet recta interpretandi regula, non esse coercitam Episcoporum auctoritatem, nisi quibus in casibus expressè circumscribitur. Atque si contra opinantibus ita licuit argumentari: quibusdam in casibus expressè definitum est, licere Episcopis devenire ad degradationem actualem: ergo in cæteris minimè licet; validior erit mea hæc opposita argumentatio: quibusdam in casibus expressè definitum est, non debere Episcopos devenire ad degradationem actualem: ergo in cæteris expressa lege non comprehensis, omninò licet.

Alterum Pragmaticorum numero plurimum erratum in eo situm est, quòd cum placuerit definire, Episcopos non posse degradare, & privilegii foro privare nisi quibus in casibus expressè in jure definitum, expressos tantum casus enumeraverunt, in quibus specialiter invenerunt definitum, ut rei Curie seculari puniendi tradantur, minimè animadvertentes, varias esse posse canonum æquipollentes formulas, quibus idem omninò definitur. Inde factum est, ut passim tradatur, tantum in his casibus

degradationi actuali locum fieri, primò in causa hæreseos, vel apostasie, cap. 9. & 13. vers. *Damnati* de hæreticis, cap. 1. & 4. cod. tit. in 6. 3. secundò in causa illorum, qui falsas ediderunt apostolicas litteras, cap. 7. de crim. falsi, cap. 27. de verb. sign., tertio in causa, ut vocant, *assassini*, cap. 1. de homicid. in 6. quarto in causa contumaciæ post inflictas omnes ecclesiasticas pœnas, quod deducit arbitrantur ex cap. 10. de iudicis. Adiciunt his alias plures causas ex recentioribus Pontificum Maximorum constitutionibus, veluti sodomiz crimen, procuracionem abortus, sollicitationem, celebracionem Missarum, & exceptionem Confessionis Sacramentalis ab eo factam qui non sit Sacerdotio initiatus, furtum sacrarum pixidum & Sacre Eucharistiæ, crimen adulteriæ, tonsuræ monete, sortilegium, morte alicujus inde secuta, & polygamiam simultaneam. Adiderunt aliqui insidias, calumnias, & conspiraciones adversus proprium Episcopum; quòd invenerint ita definitum in can. 18. 22. & 31. caus. 11. quæst. 1. quibus veluti apocryphis ego sufficerem canones 23. & 24. eadem caus. & quæst., quamquam alii postremum hoc crimen in eundem censum minimè referant. Videatur caput 6. lib. 9. de Synodo Diocæces. Benedicti XIV. An in his casibus universis locum habeat actualis degradatio, juxta istorum Pragmaticorum principia, pertinet ad facti disputationem, quæ ex laudatorum monumentorum interpretatione penderet. Jam superius ego tradidi, nihil de degradatione actuali ex causa perversitatis expressum intelligi posse in dicto cap. 10. de iudicis. Adnotavit quoque Benedictus XIV. loco citato num. 8., nullibi mentionem fieri degradationis actualis ex causa sortilegii, imò & observavit, in Pontificis, quas passim laudant, constitutionibus nec mentionem fieri degradationis ex crimine bigamiz (verius fortè id repetitur ex cap. 1. de bigamis in 6.): adeo verum est, Pragmaticos in suis ipsis faciendis principiis,

piis, gravissimè in re facti erravisse. Ceterum etiam si reciperetur Pragmaticorum generalis opinio, dum tradunt, non licere Episcopo ad degradationem actualem devenire, nisi quibus in casibus in jure expressum est, certè statuendæ forent regulæ, ut etiam ratio habeatur æquipollentium formularum.

Quoties hæc opinio recipienda foret, statui posset veluti generalis regula, qua tradatur, quibus in casibus præcipitur simpliciter & absolutè, ut Clericus deponatur, abjiciatur, de gradu cadat, aut similibus verbis concepta formula adhibetur, verbalem tantum depositionem intelligi, id est eam tantum, quæ sit ab ordine. Reddi ratio posset ex eo quòd exercitio sacrarum ordinum est jus in clero dignissimum, à quo in infligendis pœnis initium sumebatur, ut ab eo primùm Clericus arceretur, can. 16. dist. 28., can. 65. caus. 11. quæst. 3., cap. 2. de Cler. pugnans in duel., si certa temporum adjuncta excipias, quibus cum Clerici ob avaritiam magis vererentur, ne à beneficiis caderent, primùm debuerunt à beneficio excludi, can. 2. dist. 28. cap. 24. de accusatione. Exempla depositionis simpliciter indicæ multa apud veteres extant, uti in can. 2. dist. 36., can. 3. dist. 44., can. 7. dist. 45., can. 3. 5. 6. dist. 46., can. 15. dist. 51., can. 4. dist. 91., can. 11. 44. caus. 11. quæst. 1., can. 13. 19. 20. 35. 41. caus. 12. quæst. 2., can. 11. caus. 15. quæst. 2., can. 1. caus. 21. q. 2., can. 19. caus. 22. q. 5., can. 29. caus. 23. q. 8., can. 15. caus. 28. quæst. 1., can. 3. de penit. dist. 6. can. 25. de consec. dist. 1., cap. 8. de vita & honest. Cleri, cap. 4. de jurepatron., cap. 5. de Cler. vel Monach., cap. 5. de Cler. percuss. & cap. 3. de Cler. excom. ministr. Sane locum habet hæc regula, quoties expressè definitur, Clericum à majore ordine deponi retento minore, uti in cap. 8. de homicidio, aut retento, receptore beneficio, cap. 2. de Cler. pugn. in duel., siquidem nemo ritè in quocun-

que ordine ministrat, aut beneficium tenet, nisi clero sit adscriptus. Idem dicendum est ratione habitæ Clericorum, qui olim post depositionem peregrina communione donabantur, cum in hac adhuc agnosceretur participatio quadam obventionum ecclesiasticarum, ad quandam imaginem recentium beneficiorum. Postquam autem exolevit communio peregrina, & in hujus locum suffecta est statio penitentia in Collegiis Clericorum, aut Monachorum, dici etiam potest, Clericum ita depositum, ut intra septa clericalis Collegii, & Monasterii claudatur, adhuc in clero consistere cum in hac specie adhuc remansit sub cura & custodia cleri, can. 8. & 10. dist. 81., can. 9. dist. 92., can. 5. caus. 26. quæst. 5., can. 8. 9. 10. caus. 30. quæst. 1., cap. 6. in fine de homicid., cap. 12. de penit. & remiss., cap. 6. de penis, cap. 4. & 27. in fine de excess. Prælatorum. Post editas Pseudodecretales ab Isidoro, cum fuerit inductum, ut post penitentiam depositis Clericis indulgentia, & restitutio concederetur in certis criminibus, obtinere etiam debuit, ut in eisdem delictis indicæ depositio, tantum ab ordine, & officio indicæ intelligeretur, veluti in criminibus incontinentiæ, uti liquet ex can. 15. dist. 81., quæst. Gregorii VII., ex can. 16. dist. 81., qui est Alexandri III., ex can. 5. dist. 82. incerti quidem, sed non antiqui auctoris, quæ monumenta sunt recentiora Isidoro Mercatore, & ex quibus derogatum est veteribus canonibus, quibus omnimodò depositio indicæbat, can. 13. dist. 81. Obiter hoc in loco notari potest, ex his omnibus causis factum esse, ut quamquam suspensionis censura in iis iuribus versetur, in quibus versatur depositio, nunquam tamen suspensionem inflictam fuisse à privilegio fori, propterea quòd suspensus adhuc retineat jura ipsa ecclesiastica, à quibus suspensus est, tantum exercitio interdicitur, spe facta, ut cum se emendaverit, aut purgaverit, absolvatur.

Contrario, cum veteres canones poenam depositionis inferentes tali formula concipiebantur, quæ non simpliciter & absolute depositionem exprimeret, sed idoneis verbis ad significandam saltem ex æquivalenti depositionem ab omni jure, tam sanè non verbalis indicta depositio, sed actualis degradatio videbatur. Hujusmodi erant illi in primis, quibus decernebatur, ut quis *penitus* egeretur, ut in can. 23. caus. 3. quæst. 1., & in can. 3. caus. 3. quæst. 5., vel ut quis *omniò* caderet de gradu, ut in can. 21. caus. 11. quæst. 1., quomodo enim *penitus*, aut *omniò* deponeretur, qui fori privilegium adhuc retinisset? Hujusmodi erat secundo, quoties depositus dicebatur *Curia tradendus*, ut legitur in can. 8. caus. 3. quæst. 4., can. 18. & 31. caus. 11. quæst. 12., & quamquam proprie apud veteres tradere aliquem Curie, significabat, non tradere aliquem Magistratibus publicis puniendum, sed aliquem humilibus Curiarum officis addicere, nihilo tamen minus istud ipsum à foro Ecclesie Clericum depositum dejiciebat. Agitur in laudatis canonibus de delicto gravi ecclesiastico contra quod poenæ publicæ civilibus legibus statuta non fuerant, atque ecclesiasticæ disciplinæ rigor postulabat, ut reus poenitus à clero, id est etiam à Clericali foro, egeretur. Fateor quidem, istos canones è pœnu Mercatoris fuisse depromptos; verum fundamentum, habent, in genuinis antiquis constitutionibus editis eo tempore, quo hæ formulæ congruebant. Laudo inter cæteras legem 39. lib. 16. tit. 2. cod. Theodosiano, ubi ita legitur: *Quemcumque Clericum indignum officio suo Episcopus judicaverit, ab Ecclesia ministerio segregaverit, aut si qui professum sacra religionis sponte deliquerit, continuo sibi eum Curia vindicet.* Tertio etiam censo, fori privilegium exutum fuisse Clericum ita depositum, ut diceretur anathemati etiam subijci, quemadmodum legitur in can. 5. caus. 11. quæst. 3.; id enim significat nomen anathematis, quod execratio erat

& Clericum poenitus à ceterorum consortio eradicebat. Non admittis specie est, si omisso anathematis nomine, similis formula, aut etiam gravior adhibita deprehendatur, veluti cum decretum est, ut reus Clericus *tanquam membrum parvum ab Ecclesia abscindatur*, quem admodum legitur in cap. 15. de excess. Prælat.; qui enim ratione potest adhuc privilegii foro gaudere, qui veluti putridum membrum à Clericorum corpore decisis est? Idem dicendum est, cum dicitur: *Clericum modis omnibus excommunicandum esse*; etenim hæc formula significat, nihil omniò remanere juris clericæ communionis, quod evidenter ostenditur ex cap. 2. de Cler. excom. ministr., ubi statuitur, ut *modis omnibus excommunicetur* Clericus, qui post depositionem contumax fuerit. Quartò præterea puto, indictam esse depositionem totalem etiam à privilegio fori, quoties depositio Clerico poenitentia indicitur, non quidem implenda in conventu Clericorum, aut Monachorum, sed inter laicos, quod præsertim verum est, si de canonibus antiquis, & editis ante Mercatoris epistolam agatur: siquidem quid juris, aut privilegii clericalis superest Clerico, qui nedum à cleri communionem eliminatur, sed & à generali communione laicorum excluditur, & jubetur esse contentus ea communionem, quæ laicis poenitentibus conceditur? Id perspicue colligitur ex can. 9. dist. 28., ubi postquam mandatum est, ut deponatur Sacerdos matrimonium contrahens, amplius jubetur, ut Sacerdos adulterium, aut fornicationem admittens & deponatur, & poenitentia publicæ inter laicos subijciatur, tanquam reus delicti gravioris. Consonat his canon 3. dist. 81. Idem præterea dici potest, quoties Clerico indicitur poenitentia in monasterio peragenda, ita tamen ut reus in eodem monasterio laicorum tantum more recipiatur, uti in can. 7. & 10. dist. 50., atque in can. 30. caus. 23. quæst. 8. Quintò, quoties in canonibus talis formula ad-

adhibetur, qua significatur, ecclesiasticum ordinem nulla ratione pati Clericum certi criminis reum, minimè dubitarem, quin Clericus jubetur à quocumque etiam fori privilegio cadere. Exemplum esse potest in can. 1. dist. 48., ubi hæc formula legitur: *precipitabitur de statu deri.* Denique nec dubito, sermonem fieri de degradatione denegato etiam privilegio fori, quoties præter depositionem Clerico infamia irrogatur. Non laudo in hanc rem, aut canonem 22. & 31. caus. 11. quæst. 1., aut canonem 2. de poenit. dist. 6., veluti apocryphos, sed potius capitulum 3. de crimine falsi, ubi depositio Clerico inuritur, singularis infamiae nota. Reverà fori privilegium honoris causa clericali conditioni concessum fuit. Quenam verò honoris superesse potest ratio, ubi nota infamiae iniusta est argumento l. 3. cod. de re militari.

Jam verò ad persequenda generalia depositionum præcepta revertamur. Pronuntiata depositionis sententia, si totalis sit depositio, reus non fruetur amplius temporalibus Ecclesie bonis, & quæ inde fortè perceperit, omninò restituet, can. 144. caus. 2. quæst. 7., item privilegio clericali exuetur in iis speciebus, quibus superius dictum est, atque impeditur, ne ad superiores ordines ascendat, quousque cum ipso ex clementia non dispensetur, can. 2. in fine de poenis in 6. Non tamen onere aut recitationis divini officii, aut continentia, quam professus est, servandæ erit immunitas, argumento capituli 61. de reg. jur. in 6. Præterea deposito gravis imponi solet poenitentia, aliquando etiam pro admitti qualitate perpetua, ita ut modo ad certum tempus, modò usque ad finem vitæ ab Eucharistia Sacramento ceceatur, can. 7. 13. 14. 19. dist. 81., can. 7. caus. 1. quæst. 1., can. 9. caus. 30. quæst. 1., can. 2. de poen. dist. 6., cap. 6. de poenis, cap. 12. de poenit. & remiss., nisi quædam adjuncta paulò mitius cum reo agendum postulent, argumento canonis 13. dist. 55., & can. 10. caus. 11. Tom. IV.

Hæc ratio est, quare cum depositis varia ratione actum fuisse canonicis etiam veteris deprehendatur, can. 24. ex Apostolicis, tota fierè dist. 81. apud Gratianum, can. 10. caus. 11. quæst. 3., can. 9. caus. 30. quæst. 1. can. 2. de poenit. dist. 6., cap. 4. de excess. Prælat., cap. 10. de purgat. canon., cap. 12. de poenit. & remiss. Quodcumque verò depositus pertinax sit, & in crimine perseveret, excommunicatione, aut etiam anathemate plecti potest, can. 10. dist. 50., can. 7. caus. 11. quæst. 1., can. 5. caus. 11. quæst. 3., cap. 10. de iudiciis, cap. 1. & 2. de Cleric. excomm. ministr. Quòd si damnatus conqueratur, aut irritam, aut injustam depositionem fuisse, idque in jure demonstrari, erit omninò restituendus, can. 65. caus. 15. q. 5. can. 52. caus. 16. q. 1., adhibito etiam solemnè ritu sacrorum symbolorum, si in depositione ablata fuissent, can. 65. caus. 11. quæst. 3., quemadmodum etiam legitur in Pontificali. Non opus est hac in re, ut regulas explicem ad distinguendos casus, quibus modò irrita, modò injusta depositio dicatur. Dixero generaliter, eas ipsas regulas custodiri oportere, quas superius expendi in distinguendis censuris dictum est, atque impeditur, ne ad superiores ordines ascendat, quousque cum ipso ex clementia non dispensetur, can. 2. in fine de poenis in 6. Non tamen onere aut recitationis divini officii, aut continentia, quam professus est, servandæ erit immunitas, argumento capituli 61. de reg. jur. in 6. Præterea deposito gravis imponi solet poenitentia, aliquando etiam pro admitti qualitate perpetua, ita ut modo ad certum tempus, modò usque ad finem vitæ ab Eucharistia Sacramento ceceatur, can. 7. 13. 14. 19. dist. 81., can. 7. caus. 1. quæst. 1., can. 9. caus. 30. quæst. 1., can. 2. de poen. dist. 6., cap. 6. de poenis, cap. 12. de poenit. & remiss., nisi quædam adjuncta paulò mitius cum reo agendum postulent, argumento canonis 13. dist. 55., & can. 10. caus. 11. Tom. IV.

Quid verò, si justa depositio fuerit, & depositus demisso animo post emendationem, exactamque penitentiam petat, ut ex dispensatione in gradum pristinum restitatur? Certum est, sola penitentia poenam depositionis irritam non fieri, can. 2. caus. 15. quæst. 5.; can. 1. §. licet de penit. dist. 6.; sed totum pendere ex gratia, atque indulgentia seu dispensatione Pontificali. Sacri canones antiquissimi vetuerunt, ne Clerici post depositionem restituerentur, nec peracta quidem penitentia, can. 3. dist. 62.; can. 6. 7. caus. 11. quæst. 3. cap. 8. de dolo & contum., cap. 2. de raptor.; can. 29., imò & multis canonibus, qui habentur in dist. 50. apud Gratianum; dummodò insuper habeas quadam monumenta, quæ de prompta sunt ex collectione Isidori Mercatoris, aut ex aliis obscuris auctoribus. Erat hæc generalis juris disciplina, à qua Episcopi quibus ea potestas expressè sublata erat, dispensare non poterant, atque ideo ab uno Pontifice Maximo dispensatio erat impetranda. Verùm aliter obtinere cœpit post Decretales Mercatoris, non quidem generaliter, sed in quibusdam tantum criminibus, quæ utut gravia, in conspectu tamen graviorum *minoris* appellata fuerunt ab Alexandro III. in cap. 4. de iudiciis. Duæ in hac re statui regulæ possunt. Prima est, integram mansisse veterem disciplinam, ubi ageretur de irregularitatis nota ex eo crimine iniusta ex quo quis depositus fuerit. Etenim irregularitas erat juris impedimentum, quo potestas Episcopi in ordinatione ministrorum legibus coerceretur. Frustrà enim late fuissent irregularitatis leges, si eas potuisset Episcopus pro arbitrio dissolvere. Altera regula est, depositum ex crimine merè ecclesiastico potuisse ab Episcopo restitui, ubi non omninò depositus esset, sed retinisset certa iura, veluti fori privilegium; si verò depositus esset ex crimine publico, & aut tradendus esset Clericis, aut traditus jam esset Curie: sæculari puniendus, dis-

pensationem Episcopi locum habere non potuisse, uti in criminibus maximè atrocibus; è contrario posse Episcopum dispensare, ubi crimina non essent atrocissima. Quandonam hæc vera forent, jam superius disertè expendi in tradendo discrimine inter depositionem, uti vocant, verbalem, atque actuale degradationem. Si quis disputationis causa opponeret canonem 22. dist. 50. ad demonstrandum; apud veteres locum etiam fuisse dispensationi Episcopali, observet ille, agi ibidem de eo, qui non depositus fuerat, sed deponi ob admissum delictum potuisset, quæ in re dispensatio Episcopi eo potius pertinebat, ut non deponeretur Clericus, quam ut semel depositus pristinum gradum recuperaret. Imò & si quis de hoc genere dispensationis interpretari mallet alios canones etiam Mercatore recentiores, minimè repugnarem, qualis est canon 5. dist. 82. canon 13. caus. 26. q. 5.; cap. 4. vers. *De adulteris verò* de iudiciis; & capitulum 11. de Cler. pugnant, in duello. Si iterum opponeretur canon 10. vers. *Quem quidem* dist. 50.; observandum foret, ibidem agi, non de deposito, sed de suspensio Clerico, licet enim dicatur Clericus *ordine privatus*, hæc tamen formula suspensionem indicare potest, cum opponatur alteri sequenti formulæ *irrevocabiliter depositi*, quæ veram depositionem significat.

Causæ, ex quibus necessariò debet restitutio fieri, sunt, cum depositio iniusta est, vel iniusta, can. 13. dist. 50. Causæ è converso, ex quibus is, ad quem pertinet, facilis dispensationem indulget, non tamen indulgere tenetur, can. 1. vers. *Licet* de penit. dist. 6.; sunt, in primis voluntaria criminis confessio, can. 5. dist. 82., deinde emendatio, can. 2. caus. 2. q. 2., item penitentia, aut satisfactio, can. 10. & 28. dist. 50., aut etiam utilitas publica, prout singularia vel temporum, vel locorum adjuncta postulant, uti liquet ex tota ferè dist. 50. Difficilis dispensatio indulgetur in criminibus ma-

ximè enormibus, qualis est hæresis, can. 1. 2. 3. 12. dist. 50.; can. 39. caus. 24. quæst. 1., crimen eorum, qui magos, aruspices, & incantatores sequuntur, can. 5. caus. 26. quæst. 5., crimen falsi regii, cap. 3. de crim. falsi, crimen raptus, cap. 2. de raptor, verbo *irreparabiliter*, violatio depositionis, cum Clericus non obstante depositionis sententia ministraverit, can. 6. dist. 50. can. 6. 7. caus. 11. quæst. 3., frequens

incontinentia, can. 9. dist. 50.; oppositio criminis ordini clericali, quod ut plurimum irregularitatem inurit, can. 4. 5. 6. dist. 50.; & generaliter gravis contumacia, & pervercia in crimine, cap. 8. de dolo & contumacia in illis verbis *sine spe restitutionis*. Adjici his possunt facilitas delinquendi, can. 1. dist. 50., timor reincidentiæ, dicto can. 1., & can. 30. dist. 50.; ac timor, ne penitentia sit ficta, can. 23. & 25. dist. 50.

CAPUT II.

De irregularitate, & primum de hujus notæ natura.

Sunt pro universis Sacramentis constitutæ leges, quibus fiat, ut non omnes ad eadem suscipienda ritè admittantur, Plures autem numero sunt præ cæteris Sacramentis, quæ dictæ fuerunt aut pro suscipiendo ordine, aut pro celebrando conjugio, propterea quod hæc duo Sacramenta non tam privatam, quàm publicum bonum spectant, quamobrem conferri invicem aliquando poterunt, cap. 2. & 4. de translat. Episc. Impedimenta illa plurima, quibus quis arceatur ab Ecclesiæ ministeriis & ordinibus, appellantur generali nomine irregularitatis, quasi contra regulas ordo conferatur illis, qui eisdem impedimentis detinentur. Ecuquidem si de nomine irregularitatis sermo sit, non est istud sæculo duodecimo antiquius, siquidem nulli legitur præcedentibus sæculis usurpatum. Primum adparet apud Innocentium III. in cap. 10. vers. *Non tamen* de reuñtiat., in cap. 6. de bigam. non ordin., & in cap. 33. de testib. & attestat. Cæterum irregularitas ipsa, sive impedimenta ordinum vetustissima sunt, atque ab ipsa Apostolica ætate constituta, quando scimus, Apostolum Paulum in epist. 1. ad Timoth. cap. 3., & in epist. ad Titum cap. 1. varias recensuisse conditiones, quibus qui præditus non foret, ad Clerum minimè admitteretur.

Exemplum Apostoli secuti fuerunt successores Antistites, qui prout utilitas Ecclesiarum postularet, plura adhuc ordinum suscipendorum impedimenta induxerunt. Veteres illi Patres hæc, aut similibus ferè formulis designare solebant irregularitatem, videlicet statuentes ex gr., aliquem Clericum esse non posse, can. 1. dist. 33. can. 8. 13. 14. dist. 34., can. 13. dist. 55., non promoveri ad ordines, can. 2. 4. dist. 33., can. 9. 10. dist. 34., cap. 1. 2. de Cler. non ordin. min.; non ministrare altari, can. 3. 7. dist. 33. can. 11. 12. dist. 34., cap. 24. de homicid., cap. 3. de eo, qui furtivè, aut statuentes, ut perpetuò alicui interdiceretur officii ordinum, aut ab eisdem officiis removeretur, can. 5. dist. 33., cap. 10. de homicid., aut statuentes, ut quis nonnisi ex gratia, ex indulgentia, ex dispensatione ad sacros ordines admitteretur; hæc enim formula supponebat, generali jure ordinationem impediri, canon 7. 18. dist. 34., cap. 12. 19. de homicid., cap. 2. de Cler. pugnant, in duell., cap. un. de Cler. per salt. promp., cap. 2. de eo qui furtivè, cap. 2. de Cler. non ordin. ministri. Fateor quidem, nonnullas ex his formulis & depositioni, & suspensioni aliquando fuisse communes; sed aut ex canonum contextu, aut ex aliorum, qui invicem conferri po-

terant, canonum formulis clarior emergebat interpretatio, qua irregularitas à depositionis, & suspensionis sententia secerneretur, quòd cum à naturam irregularitatis attendatur, tum facili negotio percipitur.

Itaque irregularitatem definire possumus impedimentum quoddam legitimum, quo quis neque ad ordines, officia ecclesiastica admitti potest, neque in susceptis ordinibus, atque officiis ministrare. Dixi in primis impedimentum, ut statim intelligeretur, irregularitatem multum distinguì à censuris, imò nec propriè per se esse pœnam, quandoquidem irregularis esse potest etiam qui nullum omninò crimen admisit, quamquam pœnæ loco reverà sit irregularitas, quæ ob crimen indicitur. Si qua esse potest in hac re dubitatio, tota eò spectat, ut designentur discrimina, quæ intercedunt inter irregularitatem atque inter vel censuram suspensionis, vel pœnam depositionis; siquidem cum cæteris censuris, aut pœnis vix aliquid esse potest irregularitati commune. At enim distinguitur à censura suspensionis irregularitas in eo, quòd censura suspensionis tempore circumscriptur, atque absolute delectatur; irregularitas verò perpetua sit, & non nisi dispensatione tollatur. Multa quæ sunt, quorum causa distat irregularitas, & à censura suspensionis, & à pœna depositionis. Et primò certum est, seu suspensionis censuram, seu depositionis pœnam ex crimine tantum indicì, irregularitatem autem etiam sine crimine pluribus in casibus contrahi. Deinde etiam si irregularitatis species illas perpendamus, quæ ex crimine proficiscuntur, & propriè pœnæ sunt, adhuc tamen invenimus & à censura suspensionis, & à depositionis pœna distinctas. Si causas consideremus, longè plura crimina sunt, quibus aut censura suspensionis, aut pœna depositionis imminet, quorum multa arbitraria sunt, id est, arbitrio iudicis ea censura, vel pœna plectenda; pauciora sunt, & abs jure defl-

nita illa crimina, quibus imminet irregularitas. Imò observatur adhuc, à censura suspensionis, & à pœna depositionis jure indicta ignorantiam excusare, aut similes causas, modò inanes non sint, aut affectata, contra quam viget in irregularitate, à qua neque invincibilis ignorantia excusat. Item, ut depositio inferatur, ut plurimum crimen esse publicum debet, & probatum in iudicio, irregularitas autem etiam ex occulto crimine contrahitur, cujus rei argumentò est, quòd depositio ferè semper requirat sententiam iudicis, non irregularitas, quam semper juris potestate iniuri novo ignorat; unde fluit, sicut suspensionem, ita & depositionem aliquando esse posse, aut irritam, aut injustam, quod nunquam contingit in irregularitate. Si effectum inspiciamus, constat aliquando eum deponi, qui jam erat irregularis, cap. 6. in fine, cap. 7. de homicid., cap. 1. de Cler. pugn. in duell., cap. 8. de dolo, & contum., cap. 13. de vita & honest. Cler., juncto cap. 1. de sentent. & re judic. in 6., & cap. 1. de sent. excom. in 6., qua in specie depositio nihil aliud est, quam sententia quædam iudicis clarius executioni mandans, quod in jure statutum est, atque exprimens effectus irregularitatis. Quòd si pergamus comparare invicem cum irregularitate & suspensionem, & depositionem, varii statim occurrent, & suspensionis, & depositionis gradus, ex quibus fit, ut Clericus modò in universum ab omnibus ministeriis abiciatur, modò tantum ab aliquibus; at irregularitas individua est, & ab omni jure sive adepto, sive adipiscendo excludit. Quando verò dicitur, irregularitatem partialem in jure indictam non reperiri, singulares quædam observandæ sunt regulæ exceptiones. Nimirum non inde repugnat, quominus ex dispensatione causa necessitatis, vel utilitatis Ecclesiarum, aut etiam clementiæ in certos Clericos exhibendæ, quandoquæ Clerici ad certos suscipiendos ordines, aut

ad certorum ordinum susceptorum exercenda officia admittantur, quin ad sublimiores ordines ascendere permittantur; aut etiam admittantur ad beneficia alicujus generis, ex gr. minora obtinenda, aut retinenda ex quadam indulgentia, non verò admittantur ad consequenda beneficia majora, sive dignitates, aut prælaturas, aut novis donari nequeant beneficiis. Exempla prostant in can. 4. dist. 33., can. 17. dist. 34., can. 68. dist. 50., can. 4. 5. dist. 51., can. 1. caus. 1. quæst. 5., cap. 59. de elect. cap. 1. 2. 3. 4. de fil. Presbyt., cap. 1. eod. tit. in 6., cap. 2. qui Cler. vel nov., cap. 4. de corp. vitiat., cap. 2. de Cler. agr., cap. 4. Cler. percuss., cap. 12. de homicid. Sunt istæ singulares dispensationes, utut à generali jure profluentes, quæ rei naturam minimè immutant, quemadmodum nec immutata dicitur individua irregularitatis natura, cum traditur aliquando, Prælatum, unius Ecclesiæ, aut Monasterii non posse juxta regulas generales ad aliud Monasterium, vel Ecclesiam administrandum eligi, can. 35. caus. 16. quæst. 1. aut cum traditur, non esse iordiuandos extraneos, ubi digni dicecesani præsto sunt, nec esse ordinandum Prælatum invito populo can. 12. & 13. dist. 61., aut cum traditur, nunquam obtineri posse beneficium illud, quòd quis ex hæreticorum precibus impetravisset, cap. 2. vers. Ad hæc de hæret. in 6., aut cum traditur, aliqua esse beneficia, quæ certis tantummodò personis de certo genere, certave patriæ concedi possunt, aut à quibus certi Clerici excluduntur, argumentò cap. 37. de præbend., dicto cap. 1. & seq. de fil. Presbyt., cap. 32. de præbend., in 6., cap. 12. de pœnis, Clement. 1. eod. tit., Clem. 2. de vita & honest. Cleric., extravag. 1. de postul. Prælat., & extravag. 4. de præb. int. com.; non enim hæc proflunt ex vi cujusdam irregularitatis, sed potius ex certa beneficiorum quorundam natura indicta à singularibus statutis foundationum,

aut moribus, aut etiam ex singulari lege. Adjicitur his, aliquando evenire, ut quis à certo officio ecclesiastico excludatur, non quòd sit irregularis, sed quòd non deceat, eum cum illa, qua tenetur, adfectione ad officium accedere, quemadmodum contingit, cum quis labe peccati maculatus est, aut censura notatus; iste enim aut peccati, aut censura causa non arcetur ab ordine, prout ordo est, sed prout est res sacra, vel certa rei spiritualis communio, quemadmodum arcetur ab aliis Sacramentis; aliàs autem irregularitas dicitur, cum quis ab ordine, uti ordine arcetur. Denique, ut omnia paucis complectar, ita distat depositus, vel suspensus, ab irregulari, quemadmodum remotus tanquam indignus differt ab eo, qui pœnitens incapax quacumque de causa delectatur. Reverà irregularitatis non tam indicitur aut ob pœnam, aut odio illius, qui irregularis dicitur, quam ob conciliandum decus rebus sacris, quas minimè convenit tractari ab omnibus sine discrimine; at suspensionis censura, item pœna depositionis tota potissimum eò spectat, ut reus, coëreatur, puniatur. Eam ob rem dum suspensio, aut depositio indicenda sit, tota hæc punienduratio in arbitrium Episcopi collata est, & quidquid vetitum lege est, totum refertur ad personam suspensi, aut depositi; & dum indicitur irregularitas, non tam prohibetur irregularis, hæc ad sacra ministeria accedat, quam prohibetur Superior, sive Prælatum, ne irregulariter sacris officiis per ordinationem addicatur; unde fluit, ut à suspensione facilius absolutio, & à depositione restitutio in integrum concedatur Episcopi auctoritate, quam concedatur dispensatio ab irregularitate; neque enim vixit facilius concedenda est Prælati dispensandi ab eo jure, quo intra certos fines circumscripta fuit eorum auctoritas, ne irritum sit legum interdictum.

Dixi secundo loco, irregularitatem esse impedimentum legitimum, ut indicarem, non nisi lege, aut ea forma, quæ

legis vires gerit, induci posse. Hinc receptum est, ex interpretatione capituli 18. de sent. excom. in 6., ut non aliis irregularitatis nota intoratur, quam sanctione generalis juris, quod sive à Pontifice Maximo, sive à generali Concilio editum, sive etiam quod generali totius Ecclesie consuetudine indictum fuerit, argumento Clementis, de arate & qualitate prædicendorum. Eam ob rem hodie insuper habetur, quod olim de singulari alicujus Provincia consuetudine tradebatur in cap. 6. de Cler. conjug. & in cap. 2. de filiis Presbyt. in 2. Collectione. Hinc concludi potest, poenam irregularitatis indictam in veteris canonibus editis in Conciliis minimè generalibus, quorum plurimi extant in decreto Gratiani, hodie non vigere, nisi tales canones proponantur, qui sint in universa Ecclesia recepti; quod demonstrari posset, aut ex moribus, aut ex rebus judicatis, aut ex obtentis dispensationibus. Et quidem recens hæc disciplina, quæ fundamentum habere cepit in dicto cap. 18. de sentent. excom. in 6., certa ratione non destituitur; uti enim causa irregularitatis indicendæ est cultus in sacrum ordinem deferendus, non aliud

CAPUT III.

De generalibus irregularitatis causis, & effectibus.

Sunt potius præcepta ecclesiasticæ disciplinæ, quam morum, ea, quæ irregularitatem induxerunt. Quamquam enim verissimum sit, doctrinam morum postulare, ut ii apud Deum intercessoribus officio fungantur, sive, quod idem est, sacra obeant ministeria, qui puri sint ab omni labe; dum tamen generale hoc principium certis modis, & rationibus ad singulares species accommodatur, disciplinam sapit; unde fit, ut neque omne crimen, neque omnis labe neque omnis defectus irregularem faciat, sed tantum crimen illud, labe, vel de-

fectus, quam commune, attendendum erit ubi est causa toti Ecclesie communis interest præterea in hac parte, uniformem esse Ecclesie disciplinam, & parum decet, eum in una diocesi, vel provincia irregularem esse, qui in alia ad sacros ordines facile admittitur. Quod si irregularitas est juris impedimentum, nomen juris rectius tribuitur disciplinæ à generali Ecclesia probatæ; quam singularibus unius, aut alterius diocesis, vel provincie statutus.

Postrema definitionis verba indicant irregularitatis effectus; videlicet is, qui irregularis est, ab officiis sacris sive susceptis, sive suscipiendis arceatur. Quod cum ita sit, frustra indiceretur irregularitas in feminas, aut in masculos necdum baptizatos, utpotè qui jam divino jure ab ecclesiasticis muneribus semoti sunt. Atque eadem ratione concludi potest, eum, qui irregularis est, sicut ab ordinibus, ita & à prima tonsura excludi, cum ipsa ad tonsuram admissio supponat eum, de quo spes concipiatur brevè futurum, ut ad ordines promoveatur. At verò de effectibus irregularitatis fusiùs & clarius in sequenti capite disserendum.

fectus, cujus causa canonibus irregularitas indicta fuerit; unde præterea fit, ut tota hæc res vissitudinibus, seu mutationibus subjacere possit, & quæ causa aliquando irregularem fecisset, alio tempore irregularem non faciat. Itaque disciplina ecclesiastici juris duas causas recensuit, ob quas quis à sacris ministeriis rejiceretur, videlicet aut crimen, aut defectum, cap. 14. de purgat. canon., crimen veluti rebaptizationis, defectum, veluti servilem conditionem, vel etiam utramque, veluti in eo, qui dolo homicidium admisit, quem irregularem facit

cit. & crimen ipsum homicidium, & defectus, ut vocans, lenitatis, qui in homicidia deprehenditur. Fateor quidem, cum primum in corpore canonum nomen irregularitatis usurpari cepit, dici potius consuevisse de defectu, quam de delicto. Etiam antiquiora monumenta, in quibus nomen irregularitatis occurrit, sunt, capitulum 10. vers. Non tamen de renuntiat., capitulum 6. de bigam. non ordin., & capitulum 33. de testib., atque in dicto cap. 10. agitur de defectu natalium, quemadmodum in dicto cap. 6. & 33. de defectu Sacramenti. Verum si non de nomine questio fiat, sed de ipso irregularitatis impedimento, adparebit, non eos tantum, qui certo defectu laborant, sed & eos, qui certorum criminum rei sunt, ex sanctione veterum canonum exclusos à divinis ministeriis fuisse, quemadmodum inferius per singularem exempla demonstrabitur. Differunt invicem due istæ irregularitatis causæ, primò, quòd defectus etiam involuntarios irregularem faciat, quòd de crimine dici non potest; secundo, quòd est primo proximum, quòd nihil excuset ab irregularitate, ex defectu; in irregularitate autem ex delicto quedam esse possint excusationes, illa nimirum, quæ immunen à culpa reddunt; tertio, quòd ubi irregularitas ex defectu proficiscitur, non poena sit, sed impedimentum, at quæ ex delicto nascitur, & impedimentum sit, & poena; quarto, quòd omnis irregularitas ex delicto tantum finem habeat dispensatione, & irregularitas ex defectu finem habere possit etiam ex aliis causis, siquidem cessante defectu, etiam cessat ut plurimum irregularitas. Dixi ut plurimum, ut indicarem, exceptionem adjuvanti ad regulam, quæ exceptio locum habet, ubi defectus ex voluntate proficiscitur, qualis est defectus lenitatis in eo, qui justo homicidio causam præbuit, & defectus Sacramenti in eo, qui vel viduam uxorem duxit, vel secundas nuptias contraxit.

Quoties irregularitas ex delicto nas-

citur, regula est, tale delictum esse debere, quòd sit grave, sensibile & consummatum, nisi in jure aliter cautum adpareat. Debet esse in primis grave, can. 1. dist. 81., cum irregularitas, quæ in poenam delicti indicitur, gravis poena sit, proindeque nunquam pro levi delicto inferenda. Deinde debet esse sensibile, propterea quòd ad internos actus, qui sola mente concipiuntur, tenenturque, externa Ecclesie judicia minimè pertinent. Denique debet esse consummatum, quia cum leges poenas in crimina dicunt, de criminibus perfectis & absolutis intelligendæ sunt, nisi legum earundem sententia aliud exprimat, ut mitior, quoad fieri possit, in poenabilibus causis interpretatio adhibeatur, argumento canonis 4. dist. 51., necnon capituli 52. & 21. de homicidio. An delictum publicum esse oporteat, sive aut publicè notum, aut in judicium jam deductum disputari solet. Sane olim certum erat, in iis criminibus, adversus quæ constituta fuerat irregularitatis poena, nihil interfuisse, an crimen occultum esset, an publicum, an præterea in judicium deductum: fuit enim semper irregularitatis impedimentum juris quòd etiam sine iudicis sententia operat, non opus est multis ad id demonstrandum, quando viri eruditissimi jam id confecerunt, inter quos Vanespen in parte 2. juris Ecclesie, univ. tit. 10. cap. 6. Sed à temporibus Isidori Mercatoris, qui uti dictum superius est, quum de poena depositionis ageretur, Clericis utcumque graviorum criminum reis nonnihil induisit, cepit hæc disciplina immutari ratione quorundam criminum, non tamen universorum; siquidem verebatur Mercator, ne si in omnibus criminibus veterem disciplinam immutaret, difficilis admodum executio esset novarum, quas ipse vulgabat, traditionum. Itaque modestius ipse tradidit posse Episcopum in quibusdam criminibus indulgentiam facere, sed reliquit locum disputationibus, in quibusnam criminibus juris relaxatio admittenda foret.